

H. Dan.

72

Dan.

72

~~Hist. Dania. 55.~~

Hist. Dan. 65.

GRATUI  
AD  
SERENISSIMUM PRINCEPS  
DOM

FRIDERIC

HEREDEM NO

GENITAL QVO

REACTIBUS T WIL

TORNAIRIBUS M R D

COMITEN IN QVIB

DE DIRM

GLARRIAE R

CHIEF H SWARIS K

LAUSIACENSIS

LIBRARI

CHODUR

LIBRARI

LIBRARI

LIBRARI

LIBRARI

LIBRARI

LIBRARI

LIBRARI

LIBRARI

LIBRARI

LIBRARI

LIBRARI

LIBRARI

LIBRARI

LIBRARI

LIBRARI

GRATULATIO  
 AD  
 SERENISSIMUM PRINCIPEM AC DOMINUM,  
 DOMINUM  
**FRIDERICVM**  
 HEREDEM NORVAGIAE,  
 REGENTEM QVONDAM DUCATUU  
 SLESVICENSIS ET HOLSATIAE DUCEI  
 STORMARIAE ITEM ET DITMARSIAE  
 COMITEM IN OLDENBURG  
 ET DELMENHORST, ETC.

OB PACEM CIMBRIAE RESTITUTAM  
 NOMINE UNIVERSITATIS KILONIENSIS  
 ANTE QVINQVENNIUM IPSO DIE PRINCIPIS NATALI  
 XVIII. OCTOBR. ANN. CIO 1000.  
 SOLEMNITER FACTA  
 INTERPRETE  
**JO. BURCHARDO MAJO,**  
 ELOQU. ET HIST. PROF. ORD.




---

K I L O N I,  
 LITTERIS BARTHOLDI REVETHERI, ACADEM. TYPOGR.  
 CIO 1000V.

PROFESSOR

SENATUS ACADEMICUS

KEILNENSIS

FRIDERICUS



Faint, mostly illegible Latin text, likely a university decree or official document. The text is mirrored across the page, suggesting bleed-through from the reverse side. Some legible fragments include: "Litteris Bartholomaei...", "Magistrum...", "Senatus Academicus...", "Keilnensis...".

# PRORECTOR

ET

## SENATUS ACADEMIAE KILONIENSIS.



Quantum dolorem tristitiamque belli in his terris exorti calamitas nobis attulit univcrsis: tanto vicissim voluptatis laetitiaeque sensu nos moestissimos antea & afflictos afficit exoptatissimum recuperatae pacis beneficium. Quod ut merito inter mortalia ducimus maximum; ita nos, metu nunc omni ac sollicitudine vacuos, divino Numini, Autori ejus ac Largitori, gratias persolvere decet maximas. Idque eo majori animi cura ac religione unumquemque nostrum, ad quem tam insperatae felicitatis fructus redundat, facere par est, quo longiori ac difficiliore deliberatione tantum tamque salutare negotium, praepotentium Regum Principumque internunciis ac legatis operam interponentibus, Traventhaliae XV. Kal. Septembr. confectum constitit. Quocirca cum Serenissimus Princeps ac Dominus noster Clementissimus, Nutritor ac Rector Academiae hujus Magnificentissimus, hoc nomine supplicationes solemnes per suas provincias atque regiones instituendas decreverit atque indixerit: nostro quoque officio convenit, pietatisque interest, ut non privatim tantum, sed publice etiam temporis hujus festivitatem

tatem juxta cum aliis celebremus. Quam enim ad artes disciplinasque nostras excolendas necessaria sit armorum quies, neminem vestrum, o CIVES, quotquot ad humanitatis & sapientiae studia incumbitis, ignorare arbitramur. Agnoscite itaque coelesti munere concessa vobis bona, & cum de iis cras, Deo volente, hora X. in Auditorio majori, nostro omnium nomine dicturus sit Collega noster conjunctissimus, JO. BURCHARDUS MAJUS, Eloq. & Histor. Prof. P. frequenter benevoleque ei adeste, sicque pietatem Deo, obsequium Principi, nobis reverentiam, Cimbriae denique gaudia vestra gratulantes & bene precantes approbate. P. P. Dominica XIX. post Trinitatis A. O. R. clccc.

AVDI-

B



LECTISSIMI AUDITORES.

**S**illum unquam tempus auspdatum fortunatum-  
 que nobis ac universae patriae accidit : is certe,  
 qui proxime praeterlapsus est, mensis Augustus  
 vere augustus, vere salutaris existit, adeoque prae  
 reliquis omnibus aeternis fastis inferendus, transmit-  
 tendusque ad posteros est. Hunc nimirum illum esse  
 novimus, quem jam olim tanta veneratione coluere  
 Romani, ut eum, abolito veteri Sextilis nomine, boni  
 faustique ominis causa ab Octavio Augusto Augu-  
 stum appellarent. Cum enim is primum hoc mense  
 consulatum iniisset, ac tres insignes in urbem intulif-  
 set triumphos, finitisque bellis civilibus tranquillio-  
 rem reipublicae statum restituisset : permittere neutiquam  
 voluerunt, ut tantarum rerum interiret memoria, sed  
 in futurae felicitatis augurium perpetuo conservare-  
 tur.

B

tur.

tur. Nec minus longo post tempore Turcae menssem Augustum sibi suisque conatibus felicem crediderunt. Illo enim, ut in ipsorum fastis legitur, magnus Ismael in Calderanis campis, & Campso Gaurus Memphiticus Rex ad Singam devicti, & Metone in Peloponneso a Bajazete in potestatem redacta, Zigetum captum, & quod majorem facit admirationem, IV. Cal. Septemb. qui vulgo est vicesimus nonus Augusti, & Rhodus, & Buda, & Belgradum expugnata, & Ludovicus Rex Ungariae ad Mohazium caesus est.

Quantacunque vero illos impulit causa, ut vel religione vel religioni finitima atque propinqua superstitione ducti, menssem hunc Augustum albo notarent calculo: nobis tamen, Auditores, longe potiores justioresque rationes sunt, cur eum felicem auspiciatumque habeamus, ejusque solemnitatem non minori animorum laetitia, quam illi, celebremus. Non autem dicere nunc instituem, quam faustus is fuerit superiori saeculo, quo dies ejus quintus Cameracense fedus inter Carolum V. Imperatorem & Franciscum I. Regem Galliae publicavit. Nec attingam quoque, quantum ille felicitatis, quantumque salutis etiam nostro hoc aevo ante annum, quem agimus, millesimum & septingentesimum universae attulerit Europae, cum & Bromsebroensis pax inter Reginam Sueciae & Christianum IV. Regem Daniae, & Neomagensis inter Belgas Gallosque, & induciae Ratisbonenses inter eosdem ac invictissimum Romanorum Imperatorem Leopoldum eo ipso factae compositaeque sint, ista quidem die ejus tertio ac decimo, illa decimo, hae deni-

denique decimo sexto. Sed qui nobis Holsatis cum-  
 primis felicissime illuxit decimus octavus ejusdem  
 dies, is memorandus mihi nunc est, ac commendan-  
 dus quam maxime. Hic, hic enim fuit, quo tot omni-  
 um votis desiderisque adhuc expetita pax, pax, in-  
 quam, cunctarum rerum, quae contingere nobis in  
 vita possunt, optima, reddita Cimbriae nostrae affli-  
 ctissimae, confirmataque solemniter est. Hic quoque  
 fuit, quo tot superioris temporis sublatae sunt acerbi-  
 tates, tot absterseae lacrimae, tot nobis suppeditata  
 gaudia, ut ingrati prorsus essemus ac impii, nisi haec  
 nostra bona agnoscere vellemus, ingenuaque fatere-  
 mur, in FRIDERICO nostro, sanctissimo illo nomine,  
 nos habere, non minus ac Romani veteres in suo Au-  
 gusto, quod veneremur, quod exosculemur. Si enim  
 hic ideo aeternam ac immortalem consecutus est glo-  
 riam, quod pacato universo fere terrarum orbe tem-  
 plum Jani tertium clausit: noster quoque Heros ac Prin-  
 ceps digne satis collaudari nunquam potest, utpote cui  
 similiter inter primas curas cura fuit, ut bellum in his  
 finibus repente exortum sine multa caede ac sanguine  
 brevi terminaretur. Quo sane pacto id, quod suum lo-  
 quitur nomen, re ipsa praeclare praestitit, meritusque  
 omnino est, ut sibi corona ob cives servatos, qua nul-  
 lum nec pulchrius nec Principis fastigio dignius est  
 ornamentum, imponatur.

Quare hujus diei solemnitas a nobis jure quodam  
 suo postulat, ut gaudia nostra testemur publice, & pro  
 restituto pacis beneficio, arbitro ejus ac statori DEO  
 maximas agamus habeamusque gratias. Qui enim nos,

ad obsequium cultumque Principis nostri devinctissimi, in communi civium omnium laetitia, qua non hiantantum, sed ipsa quoque tecta, urbes, agri, sensu quodam pietatis excitati, tutori adjutorique suo gratulantur, pro ejusque salute & incolumitate vota suscipiunt, soli tacere possumus? Etenim cum universi harum regionum incolae summam ex pace utilitatem percipiunt: tum certe ad nos praecipue uberrimus ejusdem redundat fructus. Praeterquam enim quod in bello diurnus nocturnusque metus atque calamitas ita omnium perturbat mentes, ut ne cogitare quidem sinceram voluptatem possint; in caeteris quoque bellicosus terribilisque Mars castae ac placidae Minervae prorsus adversatur. Haec quippe animos salutaribus instruit disciplinis, ille militari licentia cuncta destruit; haec mansuetudinem, ille saevitiam docet & exercet; haec atramentum fundit, ille cruorem humanum; haec argumentis expugnat homines, ille machinis urbium muros ac turres; haec denique sacra procurat, scholas tuetur, ille vero faces quandoque sacrariis ac Lyceis injectat, adeoque una plerumque opera & Jani aedes panditur, & domicilia Musarum clauduntur. Hae enim, tranquillo otio adfetae, nil habent commercii cum armorum circumquaque frementium strepitu, nec earum cultores quoque inter tot tantasque turbas ac turbines recte obire sua possunt munia. Hinc tot passim docentium pariter ac discipulorum exaudiuntur querelae, cum moesti omnes ac pavidi vultu suo animi dolorem profitentur ac singultu. Quis proinde non intelligit, nihil utilius, nihil praeclarius, nihilque

magis

magis necessarium contingere Musis posse, quam quidem dulcissimam suavissimamque pacem? Haec, simulac reddita est terris, scholas antea clausas recludit, & mansuetiores Musas ad sua templa revocat. Tum jura & leges, quae inter arma siluerant, denuo proferuntur in lucem; linguae ac meliores literae reflorescunt; omnis generis artibus ac scientiis suis redditur honor dignitasque, ipsi denique doctores laeti & alacres ad suas redeunt operas, juvenesque laudis capaces & boni, ad capeffenda eruditionis praemia non minus excitantur, quam ad divitem praedam & opima spolia milites, atque in id incumbunt sedulo, ut sibi aliquando honori, familiae decori, patriae praesidio, & Ecclesiae rei que publicae emolumento esse queant. Atque sic pro truci tubarum cantu, lenes doctorum audiuntur voces; pro sanguinolentis gladiis, molles stringuntur calami; pro cruentis dimicantium praeliis, mites ac amici disputantium cernuntur conflictus. Laetum sane ac plane innoxium pugnae genus, ubi arma nec fauciant, nec vitae ullum instat discrimen, nec homines occidendo, sed donando immortalitatem, insignis laurea comparatur, nulli unquam tempestati cessura.

Ad haec ergo respiciens Academia nostra, in sigillo majori almam Pacem, habitu virginis stantis vesteqve tenui insignem, exprimi curavit, cum hac inscriptione: PAX OPTIMA RERUM. Dextra haec palmam praefert, sinistra vero sustinet insigne Holstiae, cui proxime Copiae cornu frugibus refertum adjacet. Non autem idcirco hoc elegit simulacrum,

C

ut

ut illud profanarum gentium more tanquam Deam  
 superstitioso ac impio veneraretur cultu, ac pulvinaria  
 eidem institueret : sed ut publico hoc symbolo indi-  
 caret , quam amice Pax & Musae conspirent. Nun-  
 quam hae ab ullo vel Poeta vel pictore exhibitae fue-  
 runt armatae , quia id genus vitae , quod in literis  
 exigitur, placatum semper mansuetumque est. Quem-  
 admodum autem formosae virgines & moribus de-  
 corae multorum infidiis atque injuriis obnoxiae sunt,  
 belli praesertim tempore , quo omnia Martio furori  
 cedere coguntur : ita quoque Musae , quae & ipsae  
 virgines esse perhibentur , nunquam majoribus ex-  
 positae sunt calamitatibus , quam cum armorum stre-  
 pitu complentur regna. Quid igitur illis esse potest  
 amicus , quid jucundius , quid denique charius ,  
 quam quidem alma Pax , quam optimarum rerum  
 optimam esse , norunt fatenturque omnes ? Ego sane ,  
 quotiescunque Academiae nostrae sigillum adspicio ,  
 non possum utique , quin divinum ejus habitum &  
 ornatum plane incomparabilem cum summa volupta-  
 te admirer. Quem enim, quaeso vos, Auditores , non  
 capiat voltus tam in amore venerabilis ? quem non  
 delectet , in cujus fronte & genis ipsae sessitant Gra-  
 tiae ? quem non summa jucunditate afficiant tam ve-  
 nusti tamque modesti oculi ? quem denique non re-  
 creet tam blandum os, tantoque rubore venusta labia,  
 quae non nisi tranquillitatem , qua gaudent Musae ,  
 & gratissimam concordiam spirant ? O felicem ma-  
 trem, quae tam exoptatam procreavit sobolem ! o ad-  
 mirandam , quae licet ipsa potentissima sit , tantae  
 tamen

tamen benignitatis indulgentiaeque genuit filiam! Victoria illa est, Auditores, quae reportatur ab hostibus: hujus enim frondem, nobilem palmam dico, divina haec divinae matris proles gestat. Nec sine ratione sic eam depinxit nostra Academia, cum alias olivae ramum praeferre fingatur. Istam scilicet palmis inditam esse novimus a natura vim, ut nulli cedant oneri, nec succumbant etiam, cum vel maxime premuntur: sed contra assurgant ac reluctentur. Et quis obtinebit victoriam, qua pax acquiritur, quis debellabit hostem, nisi qui fortiter ejus sustinuerit impetus, viresque ejus constanter obnitendo attriverit? Hoc pacto summi populorum Principes ac Heroes terris suis restituunt pacem, sibi que ipsis immortalem inter mortales acquirunt gloriam. Sed est tamen, cum etiam sine multorum morte ac vulneribus, sineque ingentium copiarum strage victoria paratur, haecque non tam vim ac robur corporis, quam singularem animi prudentiam postulat, eoque vel una innumeris praeferri meretur triumphis. Quae enim laus est, effreni sanguinis humani profusione, & miseranda tot hominum caede consequi velle, quod sine illa consequi omnino licet? Quid juvat, infestos milites & in mutua ruere perniciem, & aliorum quoque cruore manus suas polluere, cum non est opus? Praestat utique, consociare animos, & dexteras in federa conjungere ac amorem, ferrumque illud, quod multis antea vitam eripuerat ac lucem, recondere vagina. Magna quidem virtus habetur, per prostratorum hostium cadavera procedere ad templum Honoris: major ve-

ro, parcere subjectis, & superbos tantum ac resistentes debellare: maxima autem & divina prorsus ac incredibilis, suorum pariter ac adversariorum conservando vitam, pacatas reddere provincias, nec quidquam tamen de jure suo concedere alteri. Omnem ergo humanitatem exuisse oporteat illum, cui ex sententia Publii Syri jucunda esse possit macula ex inimici sanguine. Nec quenquam fore existimo, qui non summe detestetur execrabilem illam vocem Imperatoris Vitellii: optime olere hostem occisum, melius civem: quem imitatus crudelis ille nuptiarum Parisinarum autor, Carolus IX. Rex Galliae, cum optimi viri Colignii corpus miserum in modum dilaceratum atque de furca suspensum adspiceret, iisdem fere verbis ad amicos circumstantes usus est. Rectius longe sensit Antoninus, qui maluit unum servare civem, quam mille hostes perdere, ob eamque clementiam jure meritoque suo cognominatus est Pius. Recte quoque dixit, quicumque dixit: etiamsi aries jam murum concusserit, pacem tamen, si offeratur, bello esse antehabendam. Ibi enim semper est victoria, ubi concordia est: ibi triumphus, ubi pax. Pacis certe utilitas tanta quondam visa fuit alieno a vera religione Tullio, ut eam vel iniquam injustamque justissimo bello praeferre non dubitaverit. Jam si vel solum pacis nomen dulcissimum est hominibus, eorumque mentes incredibili quodam laetitiae sensu perfundit, quanto jucundior, quanto salutarior res ipsa habenda est! In bello enim, si quis neget, nullam esse salutem, vel solam experientiam, qua nulla est prudentior magistra,

nimis



n̄imis, eheu! abunde nos pridem opinor diversum plane edocuisse. Scilicet, quid est, quod in terris solitudinem, in agris vastitatem efficit? bellum est; quid est, quod tecta destruit, quod urbes excindit, quod incolas sedibus suis expellit, atque infesto jugulat ferro? bellum est; quid denique est, quod ruinam exitiumque in rem publicam affert? bellum est. Simulac enim isthoc exoritur, Deum immortalem, quam ingentes malorum undae occupant, exundant, obruunt, prosternunt universa! Malorum autem ea est natura, ut quibusdam toleratis, alia renascantur prioribus longe pejora, longe atrociora. Audiamus tantummodo, quid bello fiat, & obstupescemus attoniti. Armenta abiguntur, proteruntur segetes, exuruntur villae, & qui eas colunt agricolae, vel misere excarnificantur, vel trucidantur immaniter. Nec tamen hic desinit bellatorum saevitia, qui ipsas quoque urbes tot saeculis exstructas splendidissimasque petunt. Has una quasi procella diruunt atque subvertunt; harum cives omnibus fortunis, quin & ipsa saepe vita privant, inopiamque & calamitatem relinquunt iis, ex quorum substantia pinguescunt. Tum passim divites aut ereptas deplorant facultates, aut timent relictis, utroque modo miserrimi: pauperes vero vel fame conficiuntur, vel ad impias & illicitas confugiunt artes. Quibus rebus fit, ut opinione celerius sursum deorsum vertantur omnia, sacraque & profana juxta habeantur. Humanitas enim ridetur, leges atque religio ludibrio sunt, nec ullus aequitati relinquitur locus, & quidquid libet, licet. Sed dies me deficeret,

D

Audi-

Auditores , si omnes , quas bella pariunt , recensere vellem calamitates. Itaque ut compendium dicendi faciam , bella publicam turbant atque tollunt tranquillitatem ; bella literas ac virtutem e terris proscrunt ; bella illustrissimis gentibus omnem eripiunt splendorem ; bella regionibus vastitatem , urbibus excidium , incolis fugam , exilium , perniciem inferunt. O ergo communis quietis turbo ac tempesta , o bonarum artium pestis , o omnis felicitatis jactura , bellum , inquam , minime bellum , sed malum cunctorum multo teterrimum , tam periculofum , ut solum vincas omnia , tam foecundum , ut unum in te complectaris universa ; tam denique atrox ac pestilens , ut non minus impios efficias , quam aerumnosos ! Qvis propter te non exhorrescat , quis praete saluberrimam non exoptet pacem , quippe quae omnium bonarum rerum & parens est & nutrix , maximaque prosperitate beat humanum genus ? Scilicet cum eorum , quae ad bene beateque vivendum sapientia comparavit , nihil aut majus aut praestantius aut jucundius sincera inter singulos sit amicitia , quam ingens erit felicitas , si regna cum regnis , gentes cum gentibus , Principes cum Principibus pulcherrimo concordiae vinculo copulentur ! Quemadmodum enim malarum rerum ea est natura , ut quo latius serpant , eo magis sint suo dignae vocabulo : ita contra bonarum ea est ratio , ut quo pateant latius , eo plus afferant commoditatis , eo majoribus beneficiis homines cumulent. Atque haec denotat cornu illud Copiae , quod in sigillo Academiae nostrae

ad

ad alterum Pacis latus conspicuum esse diximus. De eo autem commenti sunt Poëtae, Jovem, adultiorem factum, id tanquam officii praemium suis dedisse nutricibus, illamque adjecisse facultatem, ut quidquid optasset, qui istud possideret, id ei continuo inde propullularet. Atque hinc videtur praecipue esse, quod illud & pomis & floribus & spicis repletum, auroque insigne plerumque conspiciatur. Nostrum jam non est, nec vestra etiam, Auditores, patitur patientia, in fabulae hujus originem atque causas ut inquiramus sollicitius: illud tantum affirmamus, aptissime eam convenire ad Pacem, quam istiusmodi insigne decorat. Pax enim ubi est, ibi sunt omnia, quae ad parandam perficiendamque felicitatem humanam pertinent, nec quidquam prosperitatis deficit regionibus, ubi Pax est. Ex pace bellorum refarciuntur clades; ex pace agris redit cultura, urbibus splendor, negotiis securitas, omnibusque in universum ordinibus exoptatissima tranquillitas. Bello sanctitas deest aris, & tribunalibus justitia: pace redditur; disciplina deest Scholis, flos Academiis: pace redditur; foecunditas familiis deest, & proventus opificiis; pace redditur. Haec quoties apud animum meum recogito, toties, Auditores, dubius ancepsque haereo, cuinam rei pacem, maximum illud Dei post coelestia donum, adsimilem. Si tamen dicere mihi liceat, quid sentiam: pax sane dulcissimus fons est, unde quidquid est felicitatis jugi velut scaturigine & exuberanti rivo profluit; aura est gratissima, quae terras tot belli calamitatibus quasi torridas leniter adspirat ac refocillat. Nec erra-

verim fortassis, si blandam quoque matrem dixerim, utpote cujus tenerrimum amorem & affectum imitatur egregie. Suavissime enim abstergit afflictissimorum civium lacrimas, eosque blande nutrit, fovetque in sinu ac tuetur. Enimvero pacis tempore aedificari denuo videmus tecta, instaurari collapsa, ornari & augeri exstructa, crescere iterum opes, divitesque pariter ac pauperes gaudere, cum illorum opulentia splendidior, horum vero quaestus uberius sit. Sed & eo nomine pax praeferrī meretur bello, quod illa liberi patres, hoc vero patres sepeliunt liberos, quemadmodum olim Croesum a Cyro captum judicasse accepimus: quem nec aberrasse a vero, satis abunde res ipsa testatur. Siquidem pace tranquillo fruuntur otio senes, filiosque suos non a Marte occisos, sed ab arte instructos, in spem patriae adolescere vident. Quid autem hinc nascatur commodi rebus publicis, id sane nullius mente comprehendi, nullius enarrari potest verbis. Nam vera eruditione expulsa, sapientia exterminata, ejecta virtute, quibus universa regitur respublica: in locum earum succedunt ignorantia turpis, falsae ac pravae opiniones, malitia & improbitas detestanda, postremo harum omnium mater, foeda ac horrida barbaries. Quae ingeniorum animorumque pestes ubi regnant, nulla certe felicitatis aut publicae aut privatae species apparere, imo spes nulla salutis esse potest. Cum enim imperiti homines ac imprudentes, aut improbi etiam & flagitiosi gubernaculis rei publicae admoventur, magno in periculo navis illa sacra versatur, neque raro misera ac magna fiunt naufragia.

Et

Et quid dicam de Ecclesia, quae Christum colit? cui si quando indocti, si arrogantes, si ambitiosi, si avar praeficiantur, (quod utinam ne unquam fiat) Deum immortalem, quas turbas dare, quantum in periculum, quam horrendum, non dicam fortunas ac vitam nonnullorum, sed aeternam plurimorum salutem conijcere solent! Quae si exemplis, ex omni memoria repetitis, demonstrare coner, finem vix inveniat oratio. At vero ubi virtutes illae, quas dixi, vigent, ubi locus debitus sapientiae conceditur, ubi literae suam obtinent dignitatem, ibi recte omnino geruntur omnia. Hoc autem fieri nunquam potest, nisi si tuta, secura atque tranquilla gaudeamus pace: pacem enim amant studia, pace ea optime proveniunt, proferuntque se ingenia hominum & ostentant. Quocirca ut circumspiciamus omnia, quae reipublicae fausta atque felicia sunt, nihil tam populare quam pacem, quam concordiam, quam otium reperiemus.

Atque hoc erat, quod non ita pridem tot votis tot suspiriis expetebamus omnes, cum triste acerbumque nos premeret fatum, & tantum non opprimeret immitis illa belua, immanisque malorum moles, bellum. Qui fuerit tum miserae Holsatiae metus, qui civium pavor, qui terror, paucis profecto nequit enarrari, nec attingerem etiam, nisi solatium afferre scirem dura passis praeteritae calamitatis securam commemorationem. Scilicet a regiminis sui initiis ita sese gerebat Serenissimus Princeps noster FRIDERICUS, ut non exterarum solum finitimarumque gentes eum suspi-  
cerent, sed etiam qui subditi ei sumus, omnes spera-

E

remus

remus planeqve confideremus , tutos nos sub praesidio ejus futuros ac incolumes ; cum ex inopinato Dani , munitiones quasdam , in ipsius regionibus majoris securitatis causa exstructas , aegre ferentes , vel potius nonnullorum male erga eum affectorum sollicitationibus , & nescio quibus falsis suspicionibus incensi , infesto cum exercitu in nostram irrumperent Cimbriam , quae tum tamen vix respiraverat a tot superiorum temporum calamitatibus. Et postquam viis aditibusqve cunctis obsessis , Slesvici aliquamdiu substiterant , opera illa molesqve impetu facto adorti , facili negotio , paucis quippe resistentibus , occupabant , occupatasqve aequabant solo. Quo facto ad ipsum etiam propugnaculum Tonningense accedebant , sperantes futurum scilicet , ut eo pari felicitate expugnato , universam Holsatiam , cui jam dudum imminuerant , sub suam redigerent potestatem. Hinc ingenti tot pilarum globorumqve igneorum vi & fragore tormentorum horribili illius urbis incolis militibusqve praesidiariis terrorem pariter ac detrimentum inferebant longe maximum , perfractis ac prostratis passim aedibus : sed conatu plane irritato atqve inani , quia hi & coelesti ope & justitia causae freti , nec viribus etiam atqve armis virisque & rei militaris peritis ac fortibus destituti , ex moenibus suis , quae non leves aggeres esse sciebant , fortissime sese & ad extremum usque spiritum defendebant. In his praecipue Illustrissimi Herois BANNIERII virtus eminebat , ab ipsis Venetis summe merito suo aestimata , qui provido & invicto adversus pericula animo , nullam nocendi  
hosti-

hostibus occasionem temere unquam praetermisit, sed omnia defendendo propugnaculo necessaria consilio, labore & industria strenue comparavit, eoque pacto insigne suis prodidit fortitudinis exemplum. Quibus rebus tantam sibi apud omnes peperit nominis gloriam, ut nulla tam ingrata tamque iniqua futura sit posteritas, quae ejus delere memoriam cupiat. Vix enim credibile dictu est, quantopere oppido huic natura alioquin & arte satis munito, timuerint cuncti, ex cujus salute universa omnium pendebat salus, quantaque animi contentione precati sint divinum Numen, ut potenter illi adsisteret, ut mitteret auxilia, ne ipsi superati tandem, alienae gentis fastidia devorare cogentur. Haec cum ita fierent, modo effrenus insolensque miles, iraque ac minis plenus, vel extorquebat pecunias, vel hospitationibus direptionibusque vexabat innoxios; modo etiam tristes ac saevi afferebant nuntii, occupatas exhaustasque esse civitates, homines aut occisos aut sedibus suis ejectos, & pessima alia, quae sine ingenti dolore commemorare haud possum. Accedebant tandem auspicato cum Suedis conjuncti Luneburgensium exercitus, ut suppetias ferrent pressis, quo audito hostes, diutius commorandi tempus non habentes, confestim recedebant. Attoniti enim obstupescebant, non secus ac si fulmine fuissent tacti, cum tam improvise adventasse cernerent Principis nostri auxilia, quibus ut obviam possent procedere, omnes suas contrahebant copias, novasque insuper conscribebant. Tum expectabat Holsatia, Septentrio, Germania universa, utrius partis videret sanguinem,

E 2

cum

cum jam nihil ad cruenta praelia deesset, praeter bellicum. Jam enim eductus erat vagina gladius, vir viro, arma armis, robur robori oppositum, omnisque miles ad nutum monentis, sequi signa, hostemque invadere paratus. Quid multa? cunctorum oculi in tot exercitatissimas tot Principum conversi erant copias, insolitumque mirabantur apparatus, cum interea summorum conciliatorum Legati de reconcilianda inter dissidentes pristina amicitia essent solliciti, & tentabant omnia, quae tentari unquam poterant. Sed cum his diu frustra laborantibus, non tantum communis Britannorum Batavorumque ac Suedorum classis Danicum occuparet fretum, sed horum quoque Rex cum delecta manu Zelandiam ingressus, ipsam regiam sedem Hafniam obsidione clauderet: major adhuc, quam antea, oriebatur dubitatio, quisnam tandem tantarum rerum futurus esset eventus? Eo autem tempore divini Numinis ita moderantis munere ac consilio dissensiones tollebantur ac discordiae, dijudicatisque controversiis certa pax incertae belli praeferebatur aleae, & pro se quisque, quod suum erat, repetebat. Venerat, viderat, vicerat uterque exercitus, ac quilibet sua erat sorte contentus, quique antea infestimantesque se spectaverant, amice, unde venerant, recedebant. Nunc itaque postquam pax & tranquillitas est restituta, finitae tandem sunt, quibuscum antea conflictabamur, miseriae, ac tuta securaque omnia. Holsatiam in Holsatia nuper quaesivisses, ita turbata ea erat metu motuque bellico. Nunc & Holsatia Holsatiae reddita, & Europa Europae, Serenissimus

con-



Conjux Conjugi Serenissimae, Filius Matri, Princeps  
 civibus, cives Principi, quisque sibi est redditus. Nunc  
 cessat omnis pavor, cessantibus inimicitiis ac simulta-  
 tibus, nec timet amplius, qui tuta etiam cuncta time-  
 bat antea. Exsultat potius populus, laetatur colonus,  
 ovat civis, triumphat ordo equestris, totaque plaudit  
 Cimbria. Quid? quod universa etiam Europa no-  
 stram nobis salutem serio multumque gratulatur, foe-  
 derati praecipue Principes, eorumque Legati ac In-  
 ternuncii, amplissimarum dignitatum viri: qui tan-  
 tam tamque laudabilem in hoc arduo multisque diffi-  
 cultatibus impedito negotio curam adhibuerunt &  
 prudentiam, ut omnium mortalium essemus ingratif-  
 simi, ni grata eam mente recoleremus subinde ac prae-  
 dicaremus. Quodsi institutum jam esset, singulorum  
 referre labores & merita, Illustrissimos ab utraque  
 parte Proceres praeterire sine criminis culpa haut li-  
 ceret: verum ne quid magnitudini illorum detra-  
 ham, silere hic malo, quam pauca dicere. Novimus  
 omnes, quotquot hic sumus congregati, fuisse eos  
 felicitatis nostrae adjuutores: eritque hoc nominis &  
 famae eorum ad posteros monumentum clarissimum.  
 Auspicatissimus certe erat ille dies, quo illorum ope  
 & consilio, projectis infestis armis dexteras fidei &  
 amicitiae sacras jungebant Rex & Princeps noster Cle-  
 mentissimus. Quotus enim quisque non dicam exor-  
 nando, sed enarrando exprimere valeat, quid ille no-  
 bis praestiterit, & in quem statum fortuna publica  
 tunc pervenerit. Nihil plane optare a Deo homines,  
 nihil Deus hominibus praestare poterat, nihil voto  
 con-

concupi, nihil felicitate consummari, quod non ille regioni huic ac populo elargitus sit. Sustulit enim dissidia, sopivit armorum furorem, exstinxit bella; exstinxit, sopivit, sustulit quidquid est excrementi malorum. Instauravit pacem auream, restituit vim legibus, auctoritatem judiciis, dignitatem Academiae, & priscam rei publicae formam revocavit. Reddidit cultum agris, sacris honorem, securitatem incolis, certamque cuius rerum suarum possessionem. Reddidit, revocavit, restituit, instauravit, quidquid est incrementi bonorum.

Quotquot igitur cordati fidelesque & patriae amantes sumus, evellamus ex animis nostris capitalem illam & perniciosam opinionem, quae tamen velut oraculum imbuit multorum mentes: belli potius fortunam fuisse subeundam. Tales quicumque sunt, & cives sunt detestabiles, & homines teterrimi, si aut cives aut homines habendi sunt, qui bellum concupiscunt, perniciosam illam reipublicae pestem. Licet enim, si quis praelio vincat, gloriae adjecerit multum, plus tamen ademerit, si quid adversi eveniat. Testantur abunde monumenta veterum, victores etiam felicissimos, cum tandem felicitati suae statuere nescirent modum, nec cohibere fortunam didicissent, quanto altius elati fuerant, tanto foedius corruisse. Nolo nunc commemorare Hannibalem, Pompejum Magnum multosque alios, qui suo nos exemplo docere possunt, meliorem tutioremque esse partam pacem, quam speratam victoriam, cum omnem multorum annorum felicitatem unius horae fortuna evertere in bello possit. Atque hinc

hinc

hinc faustis secundisque omnibus iterum atque iterum  
 prosequamur conditionem beati status, bonaque no-  
 stra gratis agnoscamus animis, quae si praesagire nobis  
 quispiam antea voluisset, an non vanus is augur judi-  
 catus fuisset? Nostis me vera loqui, Auditores, qui  
 saepius trepidi, famaue tristi, & quod in hujusmodi  
 casibus solet, varia consternati, spes fortunasque ve-  
 stras ultro damnastis. Jam vero vestra ora & voltus,  
 quos in me conversos intueor, non dubiis conjectu-  
 ris, sed apertis significationibus declarant, quo animo  
 in communi hoc gaudio & gratulatione, qua fide ac  
 pietate erga Principem sitis. Alii enim quasi abducti  
 in se, mirantur felicitatem temporis nostri, alii gestu  
 & oculis laetitiam produnt, alii tacita mente inter no-  
 stros plausus concipiunt vota. Nec aliter sane possunt  
 die hoc tam festo tamque solemni facere, quo mota  
 est omnis haec Musarum apud Kilonienses sedes, at-  
 que vel urbs ipsa, ut officium ac reverentiam suo ex-  
 hibeat Principi, hoc sapientiae domicilium ingressa,  
 in ejus effigie oculos pascit, quem colit ac veneratur  
 absentem. Omnis ordinis, omnis dignitatis omnisque  
 aetatis homines, qui certatim huc confluxerunt, in  
 voltibus suis hilaritatis publicae decus, atque in sere-  
 nis frontibus animi voluptatem ostendunt. Generosa  
 vero haec juvenus, quae literarum virtutisque studiis  
 hic addicta, paulo post amplissimis muneribus per or-  
 bem se diffundet, debitumque gloriae Holsaticae cul-  
 tum ubique augebit, laudabili pietatis aemulatione ac-  
 censa est, atque ipsi mentes eorum faciebus quasi ar-  
 dere coram cernimus. Et cum intra pectoris angu-

stias incredibilis omnium ex felicitate hujus temporis percepta voluptas premi haut queat, inter festos faustosque applausus inanimata etiam in publicum huc provocant. Quidquid dulcissimarum edi potest vocum sonorumque, exauditur, gratoque tumultu, acclamationibus, votis, & si quae alia laetitia imperat, pulpita haec & subsellia resonant. Quin & ipsum Serenissimi Principis nostri simulacrum & voltus majestate plenus, quem hic adspicitis, moveri quodammodo, & quendam publicae gratulationis sensum percipere videtur. Et merito quidem Academia nostra communi Holsatiae gaudio solemnius indulget, utpote quae & ipsa ex pace utilitatem capit certissimam. Conservata enim feliciter sunt, unde ei accedit robur, & magna admiratio incessit illos, qui etiam nunc eam superstitem esse cernunt, quam pene conclamata paulo ante existimaverant, & nonnulli etiam cupiverant prorsus depositam. Ac videbatur ei certe supremum casum jam minitari fortuna: sed eum Principis nostri evertit pietas, & affuit Numen consiliis, quae inspirarat. Durat igitur Academia, licet ringentibus ejus osoribus atque inimicis, non suis viribus, sed Dei Principisque beneficiis nixa: durabitque in posterum, si nec haec demserit (ac demet nunquam) & nova addiderit, quibus reficiat atque instauret, quae adhuc tam clementer suffulciit. Hac spe fretae, e pulvere rursus suo & squalore castissimae nostrae prorepunt Musae, & jucundissima hac otii dulcedine perfruuntur. Parum antea habebantur pensi, in tanto militum fremitu, tanto tubarum clangore, tantoque armorum fragore

ac

ac tumultu. Imo eneclae tantum non inter has turbas tenerrimae, animam agere videbantur. Nunc ceu renatae ac restitutae in vitam, novo efflorescunt vigore, nova incrementa capiunt. O lucem ergo, non eo tantum, quo illuxit tempore, sed in perpetuitatem etiam Holsatiae laetam, o felicem XVIII. Augusti diem! o felix anni tempus, quo tam beatis nobis esse licuit!

Sed inter cumulos felicitatis, qua jam omnes exultamus, hoc peculiare etiam beneficium favor coelestis nobis indulgit, quod novus nobis natus est Princeps, Parentis sui Indulgentissimi vivam expressamque imaginem ex aere referens. Quae omnia apud sese cum meditatur animus, nullo consilio contineri potest, quin tanta tamque varia prosperitate quodammodo provocatus, & Principi Serenissimo & universae Cimbriae & huic etiam Academiae toto studio gratuletur. Quis vero nostrum, Auditores, non intelligit, originem & principium hujus beneficii, & praeter spem omnium, & supra, quam capi potest, ingentis, illum esse, qui sine principio fuit sine fine futurus, Deus Opt. Max. Huic itaque gratias nos agere decet solemnissimas, moresque nostros ac vitae innocentiam approbare. Si enim cum aliis gentibus nos comparemus, quas alibi durum durantis belli jugum vel adhuc dum premit, vel jam depressoas extinxit: nihil omnino reperiemus, cur nobiscum agi debeat melius. Nihilo tamen secius nobis immerentibus in hoc orbis angulo quietem concessit divina clemen-

G

clemen-

clementia, eoqve ipso ad sanctitatis & virtutum studium concitavit. Sed vix meae hic ministerio linguae opus est, cum hoc requirat pietas, cum hoc animus tantis ei beneficiis obnoxius postulet, cum hoc res ipsa flagitet, ut videlicet nostra in communibus malis bona, commemorabili benignitate Dei instaurata, grata mente agnoscamus, voce publica celebremus, vitamqve tanto favore dignam transigamus.

Ceterum ut excitare magna terrae Numina consuevit summus ille rerum conditor ac Imperator, quodcumqve constitutum habet, miserum hominum genus felicitate praeter communem morem insigni beate: sic post Deum proxime, nativa bonitas, virtus animarum illustrium praecipua, quam divinitus inspiratam spirat FRIDERICUS noster, tanti boni causa fuit. Hunc quoties nomino, toties latissimus mihi dicendi laudandiqve aperitur campus. Huic ergo sacra erit omnis oratio reliqua: non quasi numerosissima amplissimaqve ejus merita tam brevi temporis spatio recenseri omnia possint, sed ut nostrae erga eum pietatis affectum declaremus. Tot enim ac tantae sunt virtutes tuae, SERENISSIME PRINCEPS, quas ille tot excelsissimarum mentium tradux spiritus genio tuo inlevit, ut non trabibus modo & saxi, sed aeternae laudis monumentis inscribi; tuqve non brevi duntaxat hac praedicatione, sed seris carminibus honoreqve perenni futurorum annalium coli merearis. Siquidem noverunt omnes, Te & indole & invicto animi robore referre divum genitorem tuum

CHRI-

CHRISTIANUM ALBERTUM , Academiae hujus conditorem sempiterno pietatis cultu prosequendum. Hic enim per aspera incedens strenue , ad astra pervenit : tuque non minus labore & constantia adversa quaeque cum gloria superas , perque dura ad duratura omni nisu contendis. Ego sane incredibili quadam admiratione, intus latere nescia , obstupesco , quoties cogito mentem illam tuam coelestem , igneam , futuri providam : quae non secus ac ipsum, quod supra nos est, coelum, semper agitur, semper in arduo est, & in otio quoque nunquam sine negotio. Huc vero omnis tuus labor, omnis conatus dirigitur, ut patriae tuae bene sit, ad cujus fines conservandos tutandosque a primis adolescentiae annis te applicuisti. Quot difficillima maximo saepe cum vitae discrimine itinera es aggressus, quot curis laboribusque fatigatus, quot noctes diesque duxisti insomnes, ut liberam a metu periculoque praestares Cimbriam. Solus tuus in tuos cives amor te impulit, ut largissima tot sumtuum impensarumque profusione conscriberes militem, ut praepotentium Regum Principumque auxilia accereres, quae hostium furori opponerentur, ut ipse quoque gladium fortissima contra eosdem dextra stringeres. Quis itaque non omni honore ac veneratione dignissimum te judicet, cujus labore publica nostrorum omnium salus ac felicitas & bello & pace procuratur. Quemadmodum enim maximo atque immortali Deo Principes communis boni amantes proxime acceditis : ita nihil vobis amabilius, nihil magis

G 2

volupe,

volupe, quam si plurimos donis vestris atque beneficiis vobis obstrinxeritis, contingere unquam posse existimamus. Quod si vero ullum bonum tale videri debet, pax certe est: quam dum redditam vobis debemus, omnia debemus. Jactabant olim Syracusani Timoleonem suum, qui iisdem constitutus erat Dux, quod natali ejusdem die maximae sibi victoriae contigissent. Sed longe major tua FRIDERICE, gloria die XVIII. Augusti enituit, quo aureas pacis divitias tuis concedendo, vere FRIDERICUM, hoc est pacificum te ostendisti. Quas tamen ut comparares, in omni re gerenda singularem animi servasti constantiam. Non jam miror secundis rebus te non concuti, ibi miror extolli aliquem, ubi omnia deprimuntur, ibi stare quemquam, ubi omnes jacent. Certe si respicimus calamitates praeteriti temporis, nonnisi tuum pectus ad eas sustinendas valuisse, deprehendimus. Frustra tentabat vires suas fortuna, dum in te vi maxima intorquebat telum. Te enim auxilio divino fretum, nullus movere perturbareque potest impetus, etiamsi sit maximus. Non magno tantum animo belli a Danis tibi illati exaudiebas strepitus: sed quamvis circa te gladii micarent, quamvis omnis tua felicitas extremo periculo esset exposita, tu tamen, quae animi tui altitudo est, rupis instar non modo non eras infractus, sed ne voltus quidem tuus mutabatur. Credo intrepidum futurum, etiamsi circa te flagrarent incendia; etiamsi totus corrueret orbis, impavidum tamen ferirent ruinae. Semper tibi similis, semper  
 per



per aequalis eras, erectusque stabas sub quolibet pondere. Quid? quod ipsam etiam innocentiam tuam perturbari, indignisque objici rumoribus permittebas, certus scilicet, tandem bonam tuam causam triumfaturam. O inauditum magnanimitatis exemplum, o igneum mentis vigorem, o incredibilem constantiam! Eat in omnis aevi memoriam tam illustre tamque praeclarum facinus, & posteros aliquando doceat, invictissimum fuisse FRIDERICI nostri animum. Hac enim re profecto nihil aliud multis accidit saeculis, quod aut admirabilius, aut immortalis gloria dignius sit. Sed & eo tempore tua elucebat constantia, cum eo res essent redactae hostis tui, ut vinci a te nullo labore potuisset. Dignius enim regio ducebas animo, ignoscere benigne, quam vincere crudeliter, salusque tuorum potior tibi erat cruenta adversariorum ultione. Optime nimirum perpendebas, de iis poenam, nisi multorum innoxiorum sanguine, accipi non posse, plusque in illis devincendis incommodi & periculi, quam in devictis commodi inesse. Haec inquam perpendebas, priusquam te dubiis committebas armis. Et est profecto sine ejusmodi prudentia fortitudo omnis temeritas, & qualis Poetarum Cyclops sine oculo, talis etiam est bellator ferox sine providentia. Is enim cum aliter nocere non potest, terras, maria, coelum miscere cupit, & non sine pernicie sua perniciosus est, dum ea deprimere conatur, quae sine mergente mergi haut possunt. Tu vero, clementissime FRIDERICE,

H Dei

Dei more calamitosos respiciebas, dum non tantum consentiebas in pacem, quam Regum Principumque Internuncii te inter ac Danum conciliabant, sed ipse quoque nihil intermittebas eorum, quae ad restituendam eandem pertinere videbantur. Animus enim tibi erat, cupiditatem vindictae potius vincere, quam hostem. Sive itaque ex hac, sive ex illa supersint parte, qui praelio cadere potuissent, tibi certe vitam debent ac salutem. Debent, quotquot sunt subditorum tribus Regibus, quotquot in Septentrione agunt, quotquot Balthicum Germanicumque mare accolunt, quotquot inferior Saxonia tenet, & quis non? Horum enim omnium vitam sine caede ac vulneribus Marti mortique eripuisti, utque consuleres innoxiiis, sanguini pepercisti humano. Haec unica palma, facile vincit omnes lauros ac triumphos, nec est victoria ulla, quam hac gloriosiore dicere ausim. Nam laudem illam, quae bello paratur ac armis, communicare quidam solent cum militibus, & aliquid praefectus, aliquid cohors, aliquid turma decerpit. Maximam autem partem quasi suo jure fortuna sibi vindicat, & quidquid praeclare prospereque gestum, id pene omne dicit ducitque suum. At vero in hujus gloriae societatem, quam pacis instauratione es adeptus, nemo horum omnium sese offert, sed totum hoc, quantum quantum est, post Deum tuum est, tuaeque clementiae. Hanc itaque nulla filebit posteritas, nulla unquam ejus memoriam oblitterabit oblivio. O nos felices beatosque, qui talem habemus Prin-

Prin-

Principem, qui nobis rem pene perditam labore ac constantia feliciter restituit, & in quo Principis sine exemplo optimi effigiem melius expressam contemplari licet, quam vel Apellis penicillo aut caelo Lysippi! Faxit itaque aeternum Numen, ut is rebus pacatis & tranquille fluentibus diutissime nobis praesit, felicissime profit. Mori pro patria, pulcherrimum quidem maximeque decorum habetur: tu vero, FRIDERICE, cujus incolumitate nostra felicitas augetur, vive pro patria, patrique tuo CHRISTIANO ALBERTO, gloriosissimae memoriae Principi, par evade, hoc est, talem Holsatiae ac nobis relinque Principem, qualem ipse te reliquit. Plus millies tibi redeat hodiernus dies, quo te nobis donavit coelestis benignitas, semperque redeat felicior, semper prosperior, ac seris nepotibus demum nota sit infau-  
sta illa hora, quae tam salutare coeli depositum tantumque Cimbriae praesidium reposcat. Vivat quoque in amplexibus tuis quam longissime, Serenissima Conjux tua, quam in oculis nostris ferimus, floreatque, quem Illa tibi nuper genuit, juventutis princeps, CAROLUS FRIDERICUS. Vivat denique tota Augusta domus tua ac familia, majoraque indies incrementa sumat. Sic tibi Serenissime Princeps a fonte serenitatis serena precamur omnia, & ne quid omis-  
se videamur, unanimi consensu unanimsque votis ad-  
dimus: ferviat tibi, o Amor Civium, o delictum  
Holsatiae ac Patriae tuae Pater, ferviat tibi, inquam,  
fortuna, natura obsecundet, coelum applaudat, fa-  
veat

veat aeternitas. Vos interim, o juvenes, quicunque eruditionis ac doctrinae superbitis titulo, capesite materiam laudis, capesite industriae studiorumque vestrorum fructus. Surgite certatim, & accingimini in hoc, ut tanti herois, tamque benigni Musarum omnium Patroni ac Nutritoris gloriam ab invidis asseratis oblivionibus. Tribuite pacifico FRIDERICO nostro praeconia, quae meruit, inflate buccinas, pulsate tympana. Reliqui vero, qui gaudii vestri testandi causa huc convenistis, favete animis, favete linguis, festosque edite plausus, & FRIDERICO nostro, Principi forti, constanti, quietis publicae instauratori, Cimbriaeque liberatori acclamate:  
 feliciter, feliciter!



# HYMNVS,

CVM

## ORATIO SOLEMNIS

OB PACEM CIMBRIAE RESTITVTAM

XV. KAL. NOU.

cl<sup>o</sup> lxxx.

IN ACADEMIA KILONIENSI

HABERETVR.

INTER CONCENTVS MVSICOS

DECANTATVS.

---

Ergo gaude,  
Atque plaude,  
Qui colis Musas nouenas ;  
FRIDERICVS  
Est amicus  
Pacis, & fouet Camenas.

Inclytarum  
Litterarum  
Unus is decus tuetur ;  
His fauebit  
His studebit  
Quam diu vita fruetur.

Quid filemus ?  
Buccinemus,  
Vox fidesque misceatur ;  
Cantitando  
Ac ovando  
Festa lux haec exigatur.

Impetrauit  
Quae rogauit  
Cimbriae colonus orae,  
Pace facta  
Pace pacta  
Abstinet tandem dolore.

Iamque vota  
Laeta tota  
Turba nuncupat : paravit  
Querna quivis  
Serta cuius  
Haecque Principi sacravit.

I

Bella

Bella laedunt,  
Arma caedunt.  
Otium pacemque cuncti  
Personamus  
Et probamus  
Qui sumus timore functi.  
Liberavit  
Quos amavit  
Hoc metu Princeps benignus.  
Hinc amore  
Hinc honore  
Hinc perenni laude dignus.  
Ergo laetus  
Siste fletus  
Qui colis Musas nouenas.  
**FRIDERICVS**  
Est amicus  
Pacis, & fouet Camenas.  
Inclytarum  
Litterarum  
Unus is decus tuetur.  
His fauebit  
His studebit  
Quamdiu vita fruetur.





Bella laedunt,  
Arma caedunt.  
          que cuncti  
          onamus  
Et probamus



instempeln!

Mist. Dan. 72

